



rum exaltata pro populo Christiano sedula exoratrix, apud eum, quem genitrix, assidue intercedit in cœlis, potentissimam opem in tot tantisque quibus premimur, Christianæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, promereri jugiter satagamus. Sincera itaque nostra erga eandem Augustissimam Cœli Reginam Patronam, & Advocatam nostram devotione incitata, Festum Conceptionis ipsius B. Mariæ Immaculate ubique terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, sicut alia Festa de præcepto servari, & celebrari, ac sub præcepto observationis Festorum, comprehendere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus. Volumus autem, ut eandem præsentium litterarum transcriptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem proflus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 6. Decembris, Anno millesimo septingentesimo octavo, Pontificatus nostri anno 8.

Immunitas Ecclesiastica Localis, seu Jus Asyli.

Constitutio Gregorii XIV. De Immunitate Ecclesiastica localis, seu de Jure Asyli.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Cum aliis nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim Felix, recordat. Sixtus Papa V. nec non S. Pius etiâ V. Sancto zelo ducti, diversas facultates, & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam à jure non permittis, ex Ecclesiis criminosis, & delinquentibus, compluribus sæcularibus principibus, eorum Curis, & Magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continentur. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem, & differentiam hujusmodi indulgentiarum, tum quia plerique eorundem principum ministri ex hoc ipso illa diversimodè, etiam latius, quam par erat, ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperint, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem: alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populis in veritate erga Ecclesiis reverentia devotis, & assuetis scandalis potius, quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpe numero secutum est, ut infimæ interdum conditionis laici, non modò juris, sed etiam litterarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi potestates, & ministris curiæ sæcularis in aliquo Castro, & oppidulo jurisdictionem exercebant facultatum, & indultorum hujusmodi limites longè excederent, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorsent, & illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit attentare præsumperint, in grave jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, locorum, & personarum Divino cultu dicatarum contemptum, ipsius Divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimum. Quare pro commisso Nobis à Domino Pastoralis officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem Regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem, dilucida declaratione submovere abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura planè conculcentur, & negligantur, oportuè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster, iidem de causis motus, statuere decreverat, licet morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia, id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod præca illa majorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscriperat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque nostra perpetuò valitura constitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta, & gratias tam per interdictum Sixtum, ac S. Pium V. quam alios quoscumque nostros Prædecessores, aut Nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & sæcularibus, locisque sacris aut Religiosis, aliisque in casibus jure permif-

sis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, & necessariis, & æquipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, quomodolibet concessa, etiam iteratis, ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, litterasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma brevis, seu aliàs quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic habere volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimur, & moderamus, ut laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones viarum grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut Assassinii, vel hæresis, aut læsæ majestatis, in personam ipsiusmet principis rei: Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis, & singulis venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælati, tam sæcularibus, quam cujusvis ordinis Regularibus districtè præcipiendò mandamus, & præcipimus, ut laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supra dicta sacra seu Religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquid judicio suo commississe videbuntur, quando à curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerint requisiti, ministri, & officialibus curiæ sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ incurfu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem curiæ sæcularis ministri prædicta facultate, illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentem revocata abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut curia sæcularis, ejusque iudices, & officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supra dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis (ad quos solos, & non ad alios Episcopos inferiores, etiam si alii ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut conseryatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat, occurrente autem casu in loco exemplo, & nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur hæc cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, & incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & assistere recusatint, tuncque Reverentiæ Ecclesiæ, & sacris locis debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis, locisque extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data, illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi per iudicem Ecclesiasticum curiæ sæculari, quacumque appellatione seposita, consignentur. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia sæculari se quomodo intromittat. Sicut etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas sæculares, aut cujusvis ordinis, vel militiæ, etiam S. Joan. Hierosolymitani Regulares, quomodocumque etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessorum, quæ omnia ad terminos juris per præsentem reducimur procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut Religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs, quam de jure, & per privilegia eisdem ordinibus, aut militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant. Quod si quis quacumque dignitate, & auctoritate prædictus,

us, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumperit, declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas eisdem incurtere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per sacros Canones, & Concilium generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Auditores, et S. Rev. Eccl. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, in quavis causa, et instantia iudicari, et definiri debere; nec non irritum decrevimus, et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis tam Sixti, et S. Pii V. quam aliorum quorumcumque Prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, et facultatibus, quibusvis personis, et imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, et auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominicis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, et locis, eorumve Curis, Parliamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præfidentibus, Præfidentibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, potestatis, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministriis, aut consiliariis, et prædictis, vel aliis etiam gravioribus, et urgentioribus causis, tam illorum intuitu, et contemplatione, five ad eorum preces, et instantiam, quam etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti, ac legis perpetuæ, etiam in vim contractus, et Fratrum nostrorum Consilio, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriis derogatoris, aliisque validissimis, et efficacissimis, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis, etiam si inibi caveatur expresse, quod illis, nisi sub certis modis, et formis, et nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessa fuerint, derogari possint, et aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, et aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, et innovatis. Quæ omnia, et singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adveniant, aut plures, quam superius expressos casus contineat, auctoritate, et tenore præmissis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis constitutionis, quod ad superius descripta dumtaxat reducimur, & nolumus cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali; per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentis litteræ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, & Datum Romæ in monte Quirinali, Anno Incarnationis Domini 1591. Nono Calendæ Junii, Pontificatus nostri anno primo.

Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini to. 2. pag. 707. esse inter Constitutiones Gregorii XIV. in Ordine Septima.

INDULGENTIA

Indulgentiarum quoquo modo Regularibus, & Ordinibus Regularibus concessarum revocatio. Et alia indulgentiarum nova concessio.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Romanus Pontifex in Beati Petri Sede Constitutus, cui inter alia cœlestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, felicitè prospicere debet, ac solerter, ut hujusmodi indulgentiarum dispensatio, & usus ad DEI Gloriam, & animarum salutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriat.

§. 1. Proinde cum felic. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster magna cum diligentia, & sollicitudine procuraverit abusus, & corrupelas, tum in communicando indulgentiarum thesauros, tum in medio illos recipiendi irreptos tollere, & propterea sua quadam constitutione formas aggregandi, instituendi, & rectè administrandi Societates, & Confraternitates præscriperit, licet morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa indulgentias à plerisque Romanis Pontificibus Prædecessoribus, Religiosis, et ordinibus monasticis, et mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos qui nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate, ad summum Apostolorum officium vocati sumus susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primùm Catholicæ Ecclesiæ Regimen suscepimus, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis Prædecessoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progredierentur, et indulgentias Regularibus concessas recognoscere, usque recognitis rem nobiscum communicarent.

§. 3. Cum itaque præfati Cardinales privilegia, concessiones, et gratias prædictis Religiosis, et ordinibus concessas diligenter inspexerint, et examinaverint, ac eorundem ordinum superiores, et officiales pluries audiverint, ac circa easdem indulgentias varia dubia, et incertitudines, et confusiones adesse compererint, et ex iudicio eorundem etiam Regularium, et aliorum ex illis nobis proposuerint, valde expedire pro eorum majori securitate, et beneficio, ut indulgentias ipsis Religiosis, et ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hædenu concessas annullarem, et revocarem, ac alias particulares illis concederemus.

§. 4. Nos matura super hoc consultatione præhabita, cupientes personis Regularibus quibuscumque quorumvis ordinum, tam monasticorum, quam mendicantium spirituales solatium, et juvamen afferre, infra scriptas indulgentias, et gratias, quas personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum superiorum legitima de causa illis concessa degentibus, tantummodò suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur Christi fidelibus, qui canonicè, & juxta ordines cujuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum Regularem à legitimis superioribus, causa profutendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si verè poenitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumplerint, plenariam.

§. 6. Ac cuilibet Novitio, qui poenitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, post completum probationis annum professionem emisit, etiam plenariam.

§. 7. Nec non cuilibet Religioso intra claustra sui Monasterii viventi, qui in Festo principali sui Ordinis, Confectus, & sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, etiam plenariam.

§. 8. In cujuslibet verò mortis articulo si pariter verè poenitens, & Confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, Nomen JESU, ore, si potuerit, sin autem corde devotè invocaverit, etiam plenariam.

§. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & Confessus primam missam celebrabit, nec non etiam iis Religiosis, qui pariter Confessi, ac sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.

§. 10. Iis verò qui de suorum superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem, & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerations, & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini Nostri JESU Christi, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, & ut vocalium, saltem per duas horas in die, & nocte orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumplerint, aut Missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 11. Præterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur, oraverint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

§. 12. Omnibus item Religiosis intra claustra ut supra viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.